



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De mirabili essentia Dei, Cap. 1

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

re magno in toto corde meo. Et cum te invoco, utique in me ipso invoco. Quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me: & nisi ego essem in te, non esses in me. In me es, quoniam in memoria mea manes: ex ea cognovi te, & in ea invenio te, cum reminiscor tui, & delector in te, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

CAPVT I.

De mirabili essentia Dei.

I. **T**V, Domine, cælum & terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; quaerens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, & securus es. pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, sed non mutas consilium; recipis quod invenis, & nunquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererogas, cui non debes; vel semper; superogatur tibi, ut debeas.

2. Ecquis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens. Qui ubique es, & ubique totus; qui sentiri potes, & videri non potes; qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es; qui nec ibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam; qui ubique præsens es, & vix inveniri potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui

tenes omnia , imples omnia , circumplecteris omnia , superexcedis omnia , sustines omnia.

3. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis , nec temporibus variaris , nec habes accessus & recessus : qui habitas lucem inaccessibilem , quam nullus hominum vidit , nec videre potest. In te manens quietus ubique circuis totum. Non enim scindi & dividi potes , quia vere unus es : nec in partes efficeris , sed totus totum tenes , totum imples , totum illustras & possides.

C A P V T II.

De indicibili scientia Dei.

1. **S**I totum mundum libri repleant , tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero indicibilis es , nullo modo scribi poteris , nec concludi. Tu es fons lucis divinæ , & Sol claritatis æternæ. Magnus es sine quantitate , & ideo immensus. Bonus sine qualitate , & ideo vere & summe bonus , & nemo bonus , nisi tu solus. Cujus voluntas , opus est : cujus velle , posse est. Qui omnia quæ ex nihilo creasti , sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides , & sine labore gubernas , & absque tædio regis , & nihil est quod conturbet ordinem imperii tui , vel in summis , vel in imis.

2. Qui in omnibus locis sine loco haberis : & omnia contines sine ambitu , & ubique præsens es sine situ & motu. Qui nec mali auctor